



1700.

1. Programma de incrementis studiorum elapsi hujus  
seculi in Alma Friburgiana propositum occasione  
lectionum privatarum hae hujus . . . habundantiam  
ab infra nominatis (Jacobus Brunnenmannus,ustus  
Hemmingus, Boetner, et Jacobus Friburgus Ludovici)
2. Antonius, Petrus, Putejii Theat. h. t. decanus : lectionis  
(ex computationem in ang. Joh. Wilhelmi Litzii invitat)
3. Besehin, Lucas : Decus proportionum mathematicarum  
selectarum
- 4a, b, c. Boetner,ustus Hemmingus : De scripturis non legitibus  
Von unleserlichen Schrifften. 3 Exemplare
- 5a, b, c. d. Boetner,ustus Hemmingus : De contractu non proleito
- 6a, b, c. d. Boetner,ustus Hemmingus : De interpretatione fa-  
cienda contra eum qui clarius loqui debuerit. 4 Exemplare.
- 7a, b. Brunnenmannus, Jacobus : De jure XI dierum Calendaris  
subtractarum. 2 Exemplare



- 8<sup>te</sup> = Brunnemannus, Jacobus: De jure ceremoniarum circa  
legatos. 2 Exempl. 18.
- 9<sup>te</sup> = Brunnemannus, Jacobus: De Aurea Bullae mutatione  
3 Exempl. 19.
- 10<sup>te</sup> = Brunnemannus, Jacobus: De furtis non aequis. 2 Expt. 20.
11. Brunnemannus, Jacobus: De eo, quod justum est  
circa remtentum. 21.
12. Buddus, Jo. Franciscus: De officio imperantium circa  
conservationem militum.
13. Godeske, Andreas: De substantiis paterni Consensus  
ad nuptias filiorum jam requirito.
14. Hoffmann, Fridericus: De operatorum nova capite  
mechanica operandi ratione.
15. Hoffmannus, Fridericus: De membris fractis.
16. Hoffmannus, Fridericus: De podagra retrocedente  
in corpus.
- 17<sup>a, b, c, d</sup> = Ludovici, Jacobus Fridericus: De jure consilio sine  
lex loquente 4 Exempl. 22.



18. Schneider, Johannes Fridemann: De morborum in con-  
sultae arce

19. Schneider, Jo. Fridemann: De finibus jurisprudentiae  
naturalis regis

20. Schneider, Johannes Fridemann: Principi novipola.

21. Stahl, Georg Meier: De facie morborum indice.

De morborum aestimatione ex facie



*[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

865  
D





*De Papatu.*

*1700*

**LECTURIS  
PAULUS ANTONIUS D.**

Collegii Theol. h. t. Decanus.

*S.*

*Florus*

*ad F. W. de d  
Kris*

*1700*

*1700*



1701

LECTURIS  
PAULUS ANTONIUS

Collegii Theol. h. t. Decanus

2







Ria sunt, ex quibus, quid Papatus hodieque sit, intelligi recte debet; judicari tutissime potest: *Doctrina* nempe *publica*, *Cultus publicus*, & quæ utrique præsidet, *Hierarchia* Papalis. Ut enim per mirabilem Dei sapientiam atque bonitatem passim fuerint sub Papatu, qui sapiunt rectius: ipse tamen Papatus dominans plane alius ab his est manetq; , nec de his gloriam iste sibi attribuere potest, quæ soli Deo, ejusque operationi ac stupendæ præservationi debet attribui. Referimus autem haud immerito ad *doctrinam publicam*, post ea, quæ in decretis Tridentinis expressa sunt, illa etiam, quæ in scholis atque Academiis Pontificiis prævalere solent, utpote quæ ex scholis producuntur in publicum; frigidius longe tractatis iis, quæ mere divina sunt. Vel si qui forte sub Papatu circa doctrinam versari videntur cautius: prodit se Papatus *cultus suo publico*; quem doctrinæ principiis inniti utique oportet, quemque Hierarchia ista, contemptis aliorum admonitionibus, fovet, defendit, injungit humanis ex respectibus. De quo malo, non privato, sed manifesto ac infinito, respondere certe tenentur omnes Hierarchici, iique etiam, qui analogiam Spiritus cum istis habent. Sic enim comparata sunt *solemnia* Romanensium pleraque, ut errores doctrinæ ab iis separari non possint, imo in iis omnes fere includantur, quos praxi singulorum publica universe sic confirmandos obtrudunt. Operæ pretium utique foret hoc nostro tempore, argumentum id prosequi specialius, nisi hoc ipsum jam insigniore in *exemplo Jubilæi Romani*, adhuc post funera Innocentii XII. durantis, copiose tractatum conspiceretur a doctissimo Candidato nostro. Etsi enim materia hæc videri potest paulo particularior; comperient tamen attentiores, tr-



Etatione hac complexum fuisse Auctorem. Perquam Rev. atque Ampl. quicquid ad sanum iudicium de tota fere conditione Papatus ferendum requiri possit. Quod omne ab ipso susceptum credimus atque testamur non litigandi libidine, non rei exaggerandæ pruritu: nedum ut eodem plane cum Papalibus fasciculo compingeret eos, qui sub istis post Taulerum (*prima concione quadragesimali*) aliosque recentiores, dolent nobiscum, uti de reliquis abusibus, sic de præsentelarva & corruptela Jubilæi Christiani. Sed debentur cuncta veritatis, quo tenetur, studio, honestoque succurrendi miseris officio, ac solatio bonæ spei, qua confidit futurum, ut, si forsan odio plurimum succumbat ejusmodi disputatio, apud æquiores se commendet & necessitatis & opportuni temporis præsidio. Ex more nunc recensenda vita est.

JOH. WILHELMUS de LITH lucem adspexit Onolsbaci d. XIV. Febr. a. MDCLXXVIII. patre optimæ memoriæ, HENRICO de LITH, S. Theologiæ Licentiato, Sereniss. Marchionis Brandenburgici Consiliario Consistoriali, & Ecclesiæ Onolsbacensis Antistite *ῥῶν ἐν ἀγίοις*: matre florentissima MARTHA DOROTHEA, B. D. Joh. Musæi, Theologi non de Jenensi solum Academia, verum de tota etiam Ecclesia Evangelica bene meriti, filia. Pater, ut ipse memorabili pietate erat præditus, & antiquum familiæ suæ splendorem, equestri dignitate armorumque virtute conspicuum, majoribus virtutum Christianarum ornamentis eximiaque rerum divinarum ac humanarum scientia superaverat: ita & hunc filium statim ab ipsis incunabulis Divinò destinatum servitio, timore Numinis & optimarum doctrinarum seminibus mature imbuere cupiebat. Qua in re cum singulari elaboraret studio; mox a supremo vitæ necisque nostræ arbitro ad coelestis vitæ præmia evocatus est, filio vix quintum ingresso, atque adeo in ipsis efflorescentis; spei initiis destituto. At eo illustrius omnipotens ac clementissima Æterni Patris Providentia eluxit, quæ orphani curam tutelamque tanto benignius egit, quanto minus in humana ope apparebat præsidii. Nec deerat officio suo matris pietas; quæ & conjugæ & reliquis liberis omnibus orbata, quem unicum superstitem habebat filium, tanto majori sollicitudine educandum duxit, Divinam misericordiam ardentissimis precibus dies noctesque pro eo implorans; cura simul  
enixe



enixe adhibita, ut iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, mature ex doctissimorum Præceptorum non publica tantum, sed etiam domestica disciplina instrueretur. In his cum primis laudat fidem dexteritatemque Viri Maxime Reverendi, Dn. *Georg. Ludov. HAMBURGERTI*, qui in Gymnasio Onolsbacensi tunc *Conrectoris*, nunc in Capitulo Pinopolitano *Decani* munere fungitur: cujus ductu ac informatione privatisima, non tantum Latini sermonis puritati operam dedit, verum etiam accuratioris Philosophiæ præcepta delibavit, Grotiique, & commentatorum ejus, Puffendorffii item, Celeberrimi THOMASII Nostri, ac aliorum libros scientia, quosdam memoria quoque comprehendit. Cum itaque ex Viri illius eruditissimi & reliquorum Præceptorum (quorum merita perpetuo grata recordatione recolit) fidelissima institutione non modo linguarum Latinæ, Græcæ & Hebrææ cognitionem esset consecutus, sed & omnes disciplinas Philosophicas pertractasset: Præceptorum suorum suasu & Incluti Onolsbacensis Consistorii consensu, MDCXCIII. m. Majo *Jenam* missus, & paternæ B. D. BAJERI, quem nostra quoque post Salana Professore Theologiæ coluit, curæ ac moderamini commendatus fuit. Primam ibi operam ejus sibi vindicabat *Collegium Hermeneuticum* ab Excell. Dn. DANZIO in *Jesaiæ* vaticinia habitum; cui se id in primis debere profiteatur, quod sancta Divini verbi oracula non ex interpretum & commentariorum lacunis, sed ex propria sacrorum fontium inspectione, legitimaque mediorum Hermeneuticorum applicatione interpretari assuevit. Interfuit postea quoque ejusdem Viri Doctissimi Scholis *Accentuatoriis, Rabbiniis, Chaldaicis, Syriacis & Samaritanis*. Ut vero non minus intellectum, *sapientia*; quam memoriam, *linguarum* studiis excoleret; cum *Philologia* amœnitatibus *Philosophiam* severiorem conjungendam putavit, eoque consilio Viros omni eruditionis laude excellentissimos, Dn. D. SCHMIDIUM in *Collegio Logico, Metaphysico ac Physico Experimentalis*, Dn. D. SCHUBARTUM in *Politico* atque *Historicis*, Dn. G. A. HAMBURGERUM in *Physico* ac *Mathematico* utroque, (tum in eo, quo *tirocinia* Matheseos tradebat, tum etiam in altero, quo difficiliore hujus disciplinæ partes *enucleabat*.) ac Dn. D. TREUNERUM in lectionibus *Ethicis* audivit. Postquam & in Collegiis hisce & in cathedra, cum *Oratoria*, tum *Dispu-*



tatoria, aliquot profectuum suorum specimina ediderat: instinctu  
*Dn. D. Schmidii & Dn. D. Schubarti*, (quorum, ex paternæ amicitiae  
 memoria, singularis in ipsum extitit favor,) a Splendidiss. Philoso-  
 phorum Collegio gradum Magistri Philosophiæ petiit, eumque d.  
 XXVII. Sept. a. MDCXCIV. B. WEIGELIO brabeuta, in tem-  
 plo Academico consecutus, ibidem suo & ceterorum Candidatorum  
 nomine carmen Eucharisticum recitavit. Reliquum temporis, quod  
 Jenæ transegit, Collegio *Homiletico* B. GOEZII, Talmudico *Dn. DAN-*  
*ZII*, Physico Experimentalis *Dn. HAMBERGERI*, & Juridico *Dn. LYN-*  
*CKERI* datum fuit. Posthac anno MDCXCV. Jena advocatus, *Alt-*  
*dorffium* discescit, Perillustris Domini de FORSTER, *Ser. March. Brand.*  
*Consilarii Intimi*, (cujus summa benignitate & regebantur studia ipsi-  
 us & sustentabantur) jussu, nec sine salutari Divinæ Providentiæ nu-  
 tu. Heic enim abstractus ab æqualium consortio, saluberri-  
 ma fruebatur conversatione *Dn. ROETENBECCII*, viri eruditio-  
 nis soliditate, vitæ innocentia, humanitate, modestia, patientia, o-  
 mni denique virtutum genere præstantissimi. Hujus exemplo in-  
 citatus, studia sua non ex vulgari Studiosorum consuetudine, ad  
 panem lucrandum, nec ad inanem gloriam aucupandam, sed  
 ad veram Creatoris sui cognitionem solidamque virtutem & tran-  
 quillitatem animi acquirendam referre serio constituit. Ejus-  
 dem laudatissimi Viri Bibliotheca, lectissimis optimorum Au-  
 ctorum scriptis instructa, adjutus, uberrimos inde in SS. Theo-  
 logiæ studio, cui tunc toto pectore incumberebat, fructus perce-  
 pit, privatis potissimum ea tempestate meditationibus deditus, ac  
 variis elucubrationibus, ad verum sacræ scripturæ sensum explican-  
 dum directis, ingenium exercens: ex quibus anno MDCXCVI. quæ-  
 piam, cum præfatione Viri cujusdam Celeberrimi, in publicam lu-  
 cem exierunt. Nec minus tamen a Virorum summe Reverendo-  
 rum, *Dn. D. SONNTAGII*, *Dn. D. FABRICII*, *Dn. D. WEGLEITE-*  
*RI*, qui tunc ibidem publice privatimque Theologiam Exegeticam,  
 Polemicam, Homileticam, Symbolicam docebant, ore pependit. In  
 arena quoque disputatoria sæpius Respondentis & Opponentis, se-  
 mel Præsidiis partes sustinuit, conscripta dissertatione de *Conjugio Ho-*  
*seæ Prophete*. Cum biennium fere in ista Academia exigisset: factum  
 est, Deo mirabiliter dirigente, ut anno MDCXCVII, ad *Almam Fride-*  
*ricia-*



*vicinam nostram studiorum suorum sedem transferret. Audivit heic non sine luculento fructu Dn. D. BREITHAUPTUM, Institutiones credendorum & agendorum, Historiam Ecclesiasticam, Officiaque Pastoris fidelis explicantem, ac me Concilii Tridentini Spiritum publicis lectionibus detegentem, & privato Collegio varias quaestiones Theologicas, ab Auditoribus propositas, illustrantem. Sub horum quoque praesidio binis vicibus publice disputavit. Nec pauca se ex Dn. A. H. FRANCKII sermonibus & exemplo, ad ministerium Ecclesiasticum utiliter obeundum apprime necessaria, didicisse grata mente profiteatur. Secuto dein anno M DC XCVIII. ab audiendis Lectionibus Theologicis ad Philosophiam docendam revocatus, atque Amplissimo Philosophorum Ordini adjunctus est. Disputationes ex superiori Cathedra heic habuit quatuor: unam de officio Principis circa bellum suscipiendum: binas de imbecillitate luminis naturalis in demonstrando statu mentis humane post mortem, (ex quibus meditationibus multa etiamnum supersunt, forsitan posthac edenda:) ultimam de primo principio legis naturalis. Ex eo tempore magnam studii operaeque suae partem in juvandis commilitonum studiis collocavit: donec tandem gravi valetudinis incommodo vexatus, profectioem in patriam suscepit, eo tamen consilio, ut, recuperatis viribus pristinis, quantocyus ad nos reverti vellet. Sed Deo aliter visum est: qui Nostrum insperato civium favore exceptum, factisque variis studiorum suorum experimentis, Serenissimo quoque Principi de meliori nota commendatum, in solo patrio consistere iussit. Cumque non ita pridem Decanatus Wasserthürdingensis beata M. Müzeli morte vacaret: non solum Illustri, quod Onolsbaci est, Consistorio, verum etiam Serenissimo Patriae Patri dignus omnino visus est, qui in defuncti locum ad Pastorum Wasserthürdingensem, ejusdemque Dioeceseos seu Capituli, ut appellant, inspectionem clementissimo nutu vocaretur, & d. XXII. Sept. antiquo Ordinationis ritu (1. Tim. IV, 12. 13. 14. I, 18.) initiaretur. Antequam vero sacri hujus muneris functionem subiret, in Academiam Nostram redire animum induxit; cum ut ea, quae in otio Onolsbacensi ad veritatem religionis Evangelicæ asserendam, & superstitionem Papalem confutandam, commentatus erat, heic publicæ Eruditorum censuræ exponeret: tum etiam ut ab suis Praeceptoribus (quos in fine studiorum habuit, doti-*



dotium suarum quam optime conscios) testimonium doctrinae suae ac *Licentiam* Gradus Doctoris rite capeffendi modeste peteret. Expositis itaque in conventu causis honestissimis, admissus est a Collegio nostro ad tentamen, quo de praecipuis capitibus doctrinae Christianae examine praeliminari secundum Statuta Electoralia, digne instituto, habita etiam concione coram Academia, progredi porro licuit ad lectiones publicas, quas cursorias vocant, queis Elenchum summi Doctoris, unci Magistri, D. N. J. C. Matth. XXIII. 23. *adversus hypocrisin, quae est in observatione MINORUM, neglectus acceptis iis, quae multo majora sunt*, primo literaliter, deinde polemicè proposuit. Quibus bene peractis, & instituto prius Examine adhuc altero, quo quae ad pleniorum Exegeleos, Controversiarum, Historiae Ecclesiasticae ceterarumque rerum Theologicarum notitiam pertinent, explorata sunt sedulo: ante ipsam renunciationem Q. D. B. V. & diploma LICENTIAE, aperitur nunc *Disputatio solennis* proxima die prima Novembris, horis solitis antemeridianis & pomeridianis, publice habenda. Hanc igitur ut AUDITORES, PROFESSORES, CIVES, suo quique nomine honorandi, praesentia, attentione, voto bono, condecorare dignentur, ex officio decentissime atque peramanter invitamus. Quod maximum est, probemus omnes re ipsa, nullo nos alio quam Christiano impulsu Papatum reprehendere; nec nobis vel nostris alio modo indulgeamus ipsi, quae in illo rejicimus; ut potius & *doctrina & cultus & aconomia nostra ecclesiastica* sint convenientia, sint solida, sint spiritu Evangelii ac N. T. & Christianismo digna, sint apta ad ingressum in AETERNUM regnum & Jubileum D. N. J. C. Idem D. N. confirmet benedictionem suam super Lithium nostrum, in optimo aetatis flore constitutum, mentemque ipsius integerrimam servet semper puram ad dextram & sinistram, fidosque multos extrudat operarios in messem suam! Amen. P. P. in Acad. Frider. sigill. Fac. Theol. Dominica XXI. Trin. MDCC,

(L. S.)



ULB Halle  
003 392 503

3



*Slb*


*VD 17*











B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

*De Papatu.*  
**LECTURIS**  
**PAULUS ANTONIUS D.**  
Collegii Theol. h. t. Decanus.

S.

*Flavia*

*1700*

*1700*

*2 July*

*1700*

*ad F. W. de d  
Kiss*

